

renovatio Romæ in tempore sollicitetur.

131. Nec refert, si modico tempore post expirationem facultatis, donec nova illius concessio adveniat, retineantur. Quia sicut non agitur contra prohibitionem; si quis librum, quem hæreticum, aut alias prohibitum advertit, modico tempore absque lectione illius retineat, donec commodam occasionem tradendi illum Inquisitoribus acquirat; sic eadem prohibitio non violatur, si hujusmodi libri prohibiti absque lectione illorum; modico tempore retineantur, donec nova concessio facultatis, aut renovatio illius moraliter certo obtinenda adveniant; præsertim si interea libri isti in separato et bene custodito loco, ne ad aliorum manus deveniant, caute asserventur; prout in Religionibus, præsertim in nostra Provincia fieri solet, ubi in Bibliothecis separatus, et speciali distinctam clavem requirente seramunitus locus pro libris prohibitis ita deputatus habetur, ut aliquem ex illis accipere penitus nullus valeat, qui non prius ostendat, unde et qualem licentiam legendi libros prohibitos habeat.

132. Porro, quod præfata in Monasteriis locorum, et Provinciarum Hæresi infectarum solita asservatio librorum prohibitorum nec Bullæ Cœnæ, nec indici librorum repugnet, imo quod plerumque melius, ac consultius sit, libros prohibitos modo supra dicto, in Bibliothecis istorum monasteriorum asservari, quam comburi, inde patet; quia fere cunctæ Religiones in hisce partibus hæresi infectis vel immediate a Sede Apostolica, vel a locorum Ordinariis specialis facultate præditis id habent, quod in quovis Monasterio eorum, saltem unus ad certum tempus licentia gaudeat legendi et tenendi libros hæreticos, et alios prohibitos; quæ licentia brevi ubique omni effectu careret, si, uti nonnulli juxta corticem textus volunt, quivis liber prohibitus, postquam ab aliquo lectus est, non amplius retinere posset, sed statim comburi deberet, cum tali modo omnes libri prohibiti brevi perirent, et successores non haberent, unde ex libris hæreticorum ad confutandos, et convertendos illos desumere, et facultate legendi libros prohibitos, ad quinquennium concedi solita uti valerent. Quapropter cum omnia privilegia, facultates, et rescripta gratiæ aliquid operari, et effectum aliquem habere debeant, arg. c. *In his*. 30, de *Privileg.* juncta Glossa ibidem, et media concedat, qui con-

cedit finem, lectio autem librorum hæreticorum pro confutatione et conversione illorum tanquam finis concessus, sine libris tanquam mediis haberi nequeat: consequens est, libros hujusmodi non comburi, sed pro licita et utili lectione caute, ut supra, asservari debere, non obstante, quod cortex verborum aliud insinuare videatur; quia etiam ad rescripta applicari bene potest, quod de legibus dicitur: Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, can. *Humana aures*. cau. 22, cum concordantiis supra allegatis.

133. Et profecto, si juxta verborum corticem cuncti libri hæretici, postquam ab aliquo fuere perlecti, statim deberent comburi, et non possent pro ulteriori lectione ab eodem, vel aliis in facultate legendi succedentibus asservari, jam pridem omnes libri antiqui, et manuscripta Lutheri, Calvini, aliorumque hæresiarcharum, necnon principales fidei ac religionis tractatus, conciliabula, fœdera, confessiones ab hæreticis confecti, aut habiti comburi debuissent et adhuc deberent, non sine ingenti Ecclesiæ, et religionis præjudicio; cum ex ipsis libris ad oculum hactenus demonstrati fuerint, et adhuc demonstrari possint ac debeant innumerum errores, contradictiones, discordiæ, falsitates, mendacia, deceptiones, mutationes, quas etiam in substantialibus fidei et religionis punctis hæretici fecerunt, et commiserunt, quarum demonstratione ipsa simul etiam demonstratur sectæ eorum falsitas; hoc ipso enim, quod religio, quæ in materia fidei semel fallit, et errat, semper errare, et fallere possit; consequenter nec vera, nec infallibilis, sed falsa, et fallibilis sit.

134. Cæterum non negamus, quin sæpe magis expediat, libros aliquos prohibitos comburere, quam asservare; si nempe pro fine concessio nec iis prosint, qui facultatem legendi habent: quod superiorum, et aliorum prudentum judicio relinquatur.

135. *Quid juris de impressione librorum prohibitorum per bullam cœnæ.* — Quæritur VI. Quid juris circa impressionem librorum hæreticorum, et aliorum prohibitorum? Resp. I. Quid circa impressionem librorum hæreticorum de religione tractantium, aut hæresin continentium statuatur Bulla Cœnæ, plene habes supra num. 35.

136. *Et quid de impressione librorum in genere vi concilii Tridentini?* — Resp. II. Loquendo de impressione aliorum librorum, observandæ erunt ordinationes concilii Tridentini Sess. 4. Decreto de editione et usu sacrorum librorum, et indicis librorum ad finem ejusdem de impressione appositæ, quas omnes tam concilii, quam indicis per extensum hic adducere utile duximus, ut pro majore commoditate legentium, etiam de impressione prohibitorum, et aliorum librorum cuncta simul ad manum habeantur.

Concilium itaque Tridentinum loc. cit. ita loquitur: « Sed impressionibus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui jam sine modo hoc est, putantes sibi licere, quidquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum, ipsis Sacræ Scripturæ libros, et super illis annotationes, et expositiones quorumlibet indifferenter, sæpe tacito, sæpe etiam ementito prælo, et quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros hujusmodi temere venales habent, decernit et statuit, ut posthac S. Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab ordinario sub pœna anathematis et pecuniæ, in canone concilii novissimi Lateranensis appositæ. Et si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi ante examinati probatique fuerint, eidem pœnis subjaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti vel impressi authenticæ appareat: idque totum hoc est, et probatio, et examen gratis fiat, ut probanda probentur, ut reprobanda improbanda. Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur et torquentur verba et sententiæ S. Scripturæ, ad scurrilia s'illicet, iabulosa, vana, adulationes, detractones, superstitiones,

impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandatur et præcipitur, ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ ad hæc et similia audeat usurpare; ut omnes hujus generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii pœnis per episcopos coerceantur. »

137. *Et vi indicis librorum prohibitorum? referuntur ordinationes utriusque per extensum.* — Index vero librorum prohibitorum ita ordinatur de impressione librorum prohibitorum.

§ I. Nullus liber in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, et patriam præferat auctoris.

Quod si de auctore non constet, aut justam aliquam ob causam tacito ejus nomine episcopo et inquisitori liber edi posse videatur, nomen illius omnino describatur, qui librum examinaverit, atque approbaverit.

In his vero generibus librorum, qui ex variorum scriptorum dictis, aut exemplis, aut vocibus compilari solent, is, qui laborem colligendi, et compilandi susceperit, pro auctore habetur.

§ II. Regulares præter episcopi et inquisitoris licentiam (de qua regula decima dictum est) meminerint teneri se sacri concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a prælato, cui subjacent, obtinere.

Utramque autem concessionem quæ appareat, ad principium operis, imprimi faciant.

§ III. Curent episcopi, et inquisitores, pœnis etiam propositis ne impressoriam artem exercentes, obscœnas imagines, turpesve in grandiusculis litteris imprimi consuevas, in librorum deinceps impressione apponant.

Ad libros vero, qui de rebus ecclesiasticis, aut spiritualibus conscripti sunt, ne characteribus grandioribus utantur, in quibus expresse appareat alicujus rei profanæ, nedum turpis, obscœnæve species.

Qui etiam invigilabunt summopere, ut in singulorum impressione librorum nomen impressoris, locus impressionis, et auctoris, quo liber impressus est, in principio ejus, atque in fine annotetur.

§ IV. Qui operis alicujus edi impetaverint, integrum ejus exemplar exhibent, vel inquisitori, id ubi recognoverint, et approbaverintque, penes se retineant, quod si non

quidem in archivio Magistersacri Palatii, extra urbem vero in loco idoneo, quam episcopus, aut inquisitor elegerit, reservetur.

Postquam autem liber impressus erit, non licet cuiquam venalem in vulgus proponere, aut quoquo modo publicare, antequam is, ad quem hæc cura pertinet, illum cum manuscripto apud se retento, diligenter contulerit, licentiamque, ut vendi, publicarique posset, concesserit.

Idque tum demum faciendum, cum exploratum habebitur typographum fideliter se in suo munere gessisse, neque ab exemplari manuscripto vel minimum discessisse. Qui contra facere ausus fuerit, graviter et severe puniatur.

§ V. Curent episcopi, et inquisitores, quorum muneris erit facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis, spectatæ pietatis, et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ duros, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei duntaxat gloriam spectaturos, et fidelis populi utilitatem.

Talium autem virorum approbatio, una cum licentia episcopi, et inquisitoris, ante initium operis imprimatur.

§ VI. Typographi, et bibliopolæ coram episcopo, aut inquisitore, et Romæ coram magistro sacri Palatii, iurejurando spondeant, se munus suum catholice, sincere, ac fideliter executuros, huiusque Indicis decretis, ac regulis, episcoporumque, et inquisitorum edictis, quatenus eorum artes attingent, obtemperaturos; neque ad suæ artis ministerium quemquam scienter admissuros, qui hæretica labe sit inquinatus.

Quod si inter illos, insignes, ac eruditi nonnulli reperiantur, eidem etiam catholicam juxta formam a Pio IV, fel. record. præscriptam, eorundem superiorum arbitrio, profiteri teneantur.

§ VII. Liber auctoris damnati, qui ad præscriptum regularum expurgari permittitur, postquam accurate recognitus et purgatus, legitimeque permissus fuerit, si denovo sit imprimendus, præferat titulo inscriptum nomen auctoris, cum nota damnationis, ut, quamvis quoad aliqua liber recipi, auctor tamen repudiari intelligatur.

In ejusdem libri principio, tum veteris prohibitionis, tum recentis emendationis, ac permissionis mentio fiat, exempli gratia: Bibliotheca a Conrado Gesnero Tigurino

damnato auctore olim edita, ac prohibita, nunc jussu superiorum expurgata, et permissa.

138. *Causa prolixioris discussionis hujus materiæ.* — Et hæc de lectione, retentione, et impressione librorum prohibitorum prolixius scribere, utile duximus; quia multos circa hanc materiam errores, abusus, et corruptelas, præsertim in his partibus videre est, non sine magno religionis, morum, et animarum præjudicio, quibusdam scriptoribus sua nimis libera, et minus solida doctrina non modicam ad id præventibus ansam. (ADNOTATIO XIX).

§ IV.

DE TOLERANTIA HÆRETICORUM, ET LIBERI EXERCITII RELIGIONIS EORUM: UBI ETIAM DE FŒDERIBUS PRINCIPUM CATHOLICORUM CUM HÆRETICIS, ET INFIDELIBUS: NECNON DE BELLO CUM IPSIS, ET CONTRA IPSOS.

139. *Loquendo de jure communi nec recipi, nec tolerari possunt hæretici, et ritus eorum in territorio Catholico, sed eos ubique repellere, expellere, et exterminare tenentur principes Catholici. Probat ex jure canonico.* — Quæritur I. An principes, aut status, et reipublicæ Catholicæ recipere, vel tolerare in suis territoriis possint hæreticos, et ritus seu exercitia religionis eorum? Resp. I. Ordinarie loquendo, de jure communi tam civili, quam canonico, non possunt principes catholici recipere, nec tolerare in suis territoriis hæreticos, et multo minus ritus eorum, seu religionis, vel potius falsæ sectæ suæ exercitium permittere; sed gravissime tenentur illos ubique locorum repellere et expellere. Conclusio patet ex claris juris textibus canonici quidem, c. *Excommunicamus*, 13, § *Moneantur*, h. t., ibi: « Moneantur autem, et inducantur, et si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellatur sæculares potestates, quibuscunque fungantur officiis, ut sicut reputari et haberi fidelia, ita pro defensione fidei præstent publice juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subjectis, universos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide, pro viribus exterminare studebunt, ita quodmodo, quodocunque quis fuerit in potestatem sive perpetuam, sive temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare. Si vero dominus temporalis requisitus et monitus ab Ecclesia

terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per metropolitanum, et cæteros comprovinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, et terram exponat Catholicis occupandam, qui etiam exterminatis hæreticis absque ulla contradictione possideant, et in fidei puritate conservent, salvo jure domini principalis: dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege servata circa eos, qui non habent dominos principales. »

Concordat c. *Ad abolendam*, 9, § *Statuimus*, h. t., ibi: « Statuimus insuper, ut comites, barones, rectores, et consules civitatum, et aliorum locorum, juxta commonitionem episcoporum, præstito corporaliter juramento promittant, quod fideliter et efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos, et eorum complices, adjuvabunt bona fide juxta officium, et posse suum. Si vero id observare noluerint, honore, quem obtinent, spolientur, et ad alios nullatenus assumantur: eis nihilominus excommunicatione ligandis, et terris ipsorum interdicto Ecclesiæ supponendis. Civitas autem, quæ his institutis duxerit resistendum: et infra. Si qui vero fuerint, qui a lege diocesanæ jurisdictionis exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicæ potestati: nihilominus in his, quæ sunt contra hæreticos instituta, episcoporum subeant judicium: et eis in hac parte, tanquam a Sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegiis) obsequantur. »

Concordat etiam c. *Ut officium*, 11, § *Statuimus*, h. t., in 6.

140. *Et civili.* Jure civili autem, l. *Omnes*, 2, C. h. t., ibi: « Omnes hæreses vetitæ legibus divinis, et imperialibus constitutionibus perpetuo quiescant; » et l. *Manicheus*, 5, C. h. t., ubi postquam plurimos in specie recensuit hæreticos imperator, addit: « Nunquam in Romanum locum conveniendi, morandique habeant facultatem, etc. Quoniam his nihil relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis sit injuria. »

141. *Ac ratione; quia nempe sicut hæresis peior judaismo, et paganismo; ita etiam hæretici peiores, et perniciosiores sunt Judæis, et Infidelibus.* — Item Authentica, *Si vero* C. eod. ibi: « Si vero dominus temporalis re-

quisitus et admonitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hæretica pravitate, post annum a tempore monitionis elapsam, terram ipsius exponimus Catholicis occupandam: qui eam exterminatis hæreticis absque ulla contradictione possideant, et in fidei puritate conservent. »

Item Authent. *Gazaros*. C. eod. ibi: « Gazaros, etc., et omnes hæreticos utriusque sexus quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannamus, etc. » et alibi passim.

142. Ratio tam sanctarum tum canonicarum, tum civilium legum et constitutionum multiplex, et quidem prima est; quia hæresis est summe, et quidem intensive loquendo, magis culpabilis et peccaminosa, Deoque magis odiosa, et injuriosa, quam Judæismus, et Paganismus, ipsique hæretici peiores, ac perniciosiores sunt quam Judæi ac pagani, prout cum D. Thoma, tom. II, 2, q. 10, a. 6, habet communis theologorum, et ante ipsum jam communiter senserunt antiqui SS. Patres, e quibus S. Chrysostomus, in Matth. cap. XII, ait: « Hæreticos Gentilibus peiores esse, nemo dubitat: Gentiles enim per ignorantiam blasphemant, hæretici autem scientes laniant veritatem » S. Augustinus, lib. XXI, cap. xxv, *de Civitate Dei*, ait: « Est et sana fide devium, hæreticorum, qui a Catholica Ecclesia (ad quam saltem per baptismum intraverunt) exeunt, meliorem esse causam, quam paganorum, qui nunquam fuerunt Catholici; cum pejor utique sit desertor fidei, et ex desertore oppugnator ejus effectus, quam ille, qui non deseruit, quod nunquam tenuit. » S. Ambrosius, *de Fide*, lib. III, disere ait: « Hæreticos esse detestabiliores ipsis Judæis, qui carnem Christi crucifixerunt. » Similiter, et adhuc gravior etiam alii SS. Patres loquuntur de hæreticis, atque pessimis titulis, et omnibus diris, ac fulminibus in eos zelo fidei, et veræ religionis inflati invehuntur. Nam a S. Ignatio Epist. ad Trallian. vocantur Diaboli progenies: a S. Irenæo, lib. III, cap. xxxiii, *Organa Satanae*: et lib. V, cap. xx, Diaboli instrumenta: et a S. Basilio, Epist. 141, Diaboli: a Nysseno Orat. de S. Basilio, Pestes, et lues fidei: a S. Gregorio Nazianzeno Orat. 28, Sancti moventur, et theologo unius diei: ab eodem Orat. 33, « Mendacii exercitus, fraudis propugnatores, demonum expeditio, immundorum spirituum legiones, etc. » et a S. Hieronymo in cap. x.